Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 789
Quelle:
Copyright:

lena Apostola Apostolorum dicitur, citatque *Pseudaugustinus* iste e sua ad *Macedonium* Epistola, quae est T. II. edit. *Maur. CLIII. col.* 532. dictum illud: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Fol.* 12. p. 2. *De prelatis bonis et malis, et quomodo ecclesia est, et dicitur nauicula.* Init: *Fratres karissimi tria refugia dominum saluatorem habuisse testamur, Montem uidelicet desertum uel nauim.* &c. Ecclesia hic *alma mater* vocatur. *Fol.* 13. p. 2. *De pastoribus et prelatis, et conditionibus eorum.* Init: *Decet pastores fratres carissimi et dilectissimi oues pascere manutenere bonos* &c. Inter alia: *Non vos teneat magorum timor uel pauitas. Fol.* 31. *De Morte.* Init: *Fratres carissimi si de vite huius naufragio* &c. Absurde: *Hec — philosophi nostri cartaginenses non ignorauerunt, quando in ortu puerorum lugebant, sed moriendo gaudebant, et epulabantur quotidie splendide. Fol.* eod. p. 2. *Item de morte et de pia consolatione remanentium.* Init: *Fratres quis est homo, qui non videat mortem* &c. Scatet ineptis fabulis de *Eber*, *Nera*, *Assur*, *Nachor*, *Phoreno*, *Gathonicle* &c. et tamen *Hipponem* intrusit Veterator. *Fol.* 33. *De sacerdotibus.* Init: *Sacerdotes dei dilectissimi tria sunt genera hominum, que odit deus, remanentem aberrantem et retroredeuntem.* Novit ergo Impostor *Sermonem Augustini in Natali Quadrati martyris*, quem inter XXV. ἀνεκδότους nuper edidimus, in eo enim haec ipsa verba leguntur. *Fol.* 38. p. 2. *De predestinatione.* Init: *De predestinatione dei dicturi sumus. Anxietatibus quibusdam involvimur* &c. Disputatio haec *ignoti Autoris* a *Maurianis* T. X. *Append. col.* 59. exhibita est. *Fol.* 69. p. 2. *De penitentia.* Init: *Penitete penitentes, et non eritis deridentes* &c. Est Sermo *Augustino* a *Maurianis* restitutus T. V. *n.* CCCXCIII. *col.* 1506. sed hic valde deformatus. Ex VIII. igitur hic recensitis *Sermonibus* restaret Autor VI. priorum quaerendus, siquidem foret operae pretium, sed merito ejusmodi Falsarii se ipsos tenebris damnavere.

II. *fol.* 80. *De obitu Sancti Augustini.* Scribe: *Hieronymi;* est enim commentitia illa Relatio *Eusebii* ad *Damasum* et *Theodosium*, quam sub ipsa Typographiae exordia non semel impressam *Vallarsius* in T. XI. Opp. *Hieronymi* ad *col.* 288. rejecit. Subdita est illi in *Codice* miniata haec clausula: *Hic liber est nostri Caesaris de gaieta de calabria. diuina prouidentia Episcopi militen. Expletus de Anno domini M° CCCCLX quinto inditione XIII. die Jouis XXV. mensis aprilis in placentia. videlicet in domibus sancti Vincentij hora XXI. uel circha ad laudem — beati ue Nicolai protectoris nostri* &c. *Caesar* hic prius Abbas S. *Stephani de Cornu* Dioec. *Laudensis* Ord. Cisterc. obtinuerat Ecclesiam *Miletensem* in ulteriore *Calabria* sub invocatione D. *Nicolai* anno praecedente, eamque 7. circiter annos tenuit, Ferdinando I. a consiliis.